





1277  
Bd  
VZI  
DE  
**BERNHARDI ASCANII**  
DVCATV SAXONICO

COMMENTATIONEM HISTORICAM

EX DECRETO

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
P R O L O C O

INTER ADIVNCTOS EIVS ORDINIS

RITE CAPESSENDO

P R A E S E S

GODOFREDVS AVGVSTVS MEERHEIM

A A. MAG. ET FACVLT. PHILOS. ADIVNCTVS

T V E B I T V R

C O M I T E

IACOBO CAROLO REINHOLD O

D R E S D E N S I

BONAR. LITT. ET IVR. CVLT.

DIE XIX. FEBR. MDCCCLXXVI.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHR. DÜRRII ACAD. A TYPIS

۱۷۰۶

۲۸

ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSMIS DOMINIS  
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE  
SVMMIS REIPVBЛИCAE ADMINISTRIS ET  
CONSILIARIIS INTIMIS

HIERONYMO FRIDERICO  
DE STAMMER

DYNAST. IN PRIETIZ. CET. LVSATIAE SVPERIOR  
SATRAPAE REIP. ADMINISTRO ET CONSILIARIO  
INTIMO, ET CAPITVL. CATHEDRAL.  
MISN. PRAEPOSITO

FRIDERICO LVDOVICO DE WVRMB  
DYNAST. IN GROSSENFVRRA CET. SER. ELECT.  
SAXON. REIP. ADMINISTRO ET CONSIL. INTIMO  
OECONOMIAE PROVINCIAL. OPIFICIORVM ET  
COMMERCIORVM DIRECTORI ORDINIS  
CAESAR. S. IOSEPHI EQVTI

CHRISTIANO GOTTHELF  
L. B. DE GVTSCHMID

SEREN. ELECT. SAXON. REIP. ADMINISTRO  
ET CONSIL. INTIMO SVMMAE RATIONVM  
EXAMINATIONIS PRAESIDI

ADOLPHO HENRICO  
COMITI DE SCHOENBERG

DYNASTAE IN BERTHELDORF CET. SEREN. ELECT.  
SAX. REIP. ADMINISTRO ET CONSILIARIO  
INTIMO

DOMINIS ET MAECENATIBVS  
INDVLGENTISSIMIS.

H O C

DEMISSAE PIETATIS, ET PLENISSIMI ORSEQVII

M O N U M E N T U M

MENTE DEVOTISSIMA

S A C R V M .

ESSE VOLVERVNT

CHRISTIANO MARMB  
ERICUS FEDERICUS de MARMB  
SACRVM.

CHRISTIANO GOTTHILF  
ERIK DE GYLZCHIN

SERENI THOMAS SAXONIAE ADMINISTRATOR  
DUCALIS HERITIS SUMMAM PARIONAM

ADOLPHO HEDERICA  
COMITI DE SCHONBRUNN

AVCTOR

DOMINI ET HISTORIA

ET

RESPONDENS.



§. I.

P R A E F A T I O .

**A**rgumentum aggredior scripturus graue, varium, impenitum, apud alios gratum, apud alios inuidiosum, vt cuncte autem ingenii, harumque pagellarum terminos longe excessurum. Nulla enim res magis in Germania nobilitauit seculum XII. casu Henrici Leonis, Saxonie, Bavariaeque Ducis, torque illustres hodie gentes in ruina eius dominandi inuenerunt origines, vt, quantus fuerit olim Princeps in ipso eius infortunio maxime demum intellectum sit. Si qua vero est res ex hoc tempore difficultibus mirifice stipata, certe quaestio huc referenda erit de Bernhardi Ascanii Ducatu Saxonico, prout enim deprehenduntur, qui vel eum Ducis Saxonie titulo plane caruisse, alii, qui vitio factum, plerique tandem, qui inani nomine contentum scribant, ira, vt has nebulas, quoad eius fieri poterit, discutiamus, prouidebitur. Qui vero fortassis inclementius de incepto nostro statuunt, sic habento, pietatis in historiam terrae patriae nos testimonium prius edere voluisse, quam iustae molis librum, deinde esse aliquid certe in tanta obscuritate argumenti scripsisse, quod alii facilius superarent.

A

§. II.



## §. II.

Occasio.

Duae florebant ea aetate per Germaniam gentes fama, opibusque potentissimae, ceterum antiqua similitate disiunctae, vna Stauffensium magnos Caesares, Guelforum altera claros Duces proferre solita<sup>a</sup>). Ex illa descendenterat Fridericus, cognomento Ahenobarbus, ante imperium dignus inuentus, qui imperaret, expectationem regno non fecellit, post mortem vero etiam desiderandus, domi militiae clarius, incertum, maiestatis regiae in primis strenuus defensor, ignoroscere facile, et vindicare acerbe, prout res postularerat, paratus. Illa satus erat Henricus, Leo ob fortitudinem, ut accepimus, dictus, cui consilium, et magnitudo animi non infra genus fuere, industria et fortitudo pars, in secundis rebus ob splendorem, in aduersis ob constantiam admiratione dignus, vterque aeris suae facile primus futurus, nisi aequales fortuna tulisset, quippe hic superiorem, ille parem haud ferre consuetus. Ad haereditariam vero inter hos inimicitiam graues subinde accessere causae<sup>b</sup>), ut manifesto bello sola quaereretur occasio. Cum igitur anno MCLXXV. Caesar Alexandriam in Italia longa obsidione nequicquam premeret, Itali repente, postquam insignem exercitus regii partem ad propria rediisse rescierant, pro ingenii mobilitate, totis viribus consurserant, rei bene gerundae tempus adesse rati. Qua re Imp. vehementer percussus quam celerrime Principibus Germanicis auxilia

*a)* Verba sunt OTTONIS FRISING. in Prolog. l. II. de Gestis Friderici I. *Duae istae familiae, ut inter viros magnos gloriaeque auctioris affecti fieri frequenter se inuenient aemulantes reip. quietem multoties perturbantur.*

*b)* Scriptor scilicet Fridericus I. Henricam L-onem, ubi tum coniunctissimum, in obsidione Mediolanensis, si quid

forte humani patetur, post Fridericum Conradi f. regni haeredem secundum, quod *Aulicarum Affligemense SIGEBERTI GEMBLACENSIS* ad an. 1160 prodit. Id vero longe aucter evenire sensit Henricus, postquam Caesar an. 1169 filium Henricum adhuc parvulum in Comitiis Aquitanensibus Regem Romanorum designaret,



auxilia imperat,<sup>c)</sup> conuentuque apud Clauennam in faucibus Alpium coacto, quo Henricus quoque arcessitus erat, ab hoc praeſertim, in quo maxima ſita erat potentia, ne ſe in re trepidia deſereret, dicitur in genua prouolutus<sup>d)</sup> oraffe. Quod cum ille, aliud ex alio cauſatus<sup>e)</sup> tantum non plane denegaret irarum plenus rex diſceſſit. Subornatis deinde, qui item ei facerent, Episcopis<sup>f)</sup> reuersus ex Italia in Comitiis Wormatiensibus anno MCLXXIX. ad eſſe de querelis Principum reſponſurum edixit<sup>g)</sup>, et postquam iam aliquoties euocatus Henricus

A 2

com-

c) OTTO de S. BLASIO ap. Virſitum Tom. I cap. 23. Imperator igitur anguſtatiſ legatos in Germaniam pro jupplemento exercitus mittit. et Chronicum Montis Serenii, ap. MENCKENIUM Scriptorum German. Tom. II. ad an. 1180. Imperator cum Mediolanum obſiderat viribus ſuis iam valde attritis Principes Saxoniae ad locum, qui Bartenkirke dicitur, et eſt in introitu Alpium euocauit, et ut negotiis ſuis auxilium ferrent rogauit. Faltur ergo Conradi Virſi perſide Henricum ab Imperatore diſceſſit affirmanſ. Caſoremque ad Cumānum lacum eum inſequutum, cum in illa expeditione nunquam Italianam adſpicerit Henricus.

d) Totum hoc colloquium a multis inuidiosius commemoratur, vt Henricum L. et animi tumidissimi, et ſpreta maiſtatis anquirant, quea nos merito improbamus. Placer igitur Ottonis de S. Blasio narratio. l. c. Euocauit Imp. Henricum annunciuſ ſui filium, ut ſbi Clauennam ad colloquium occurreret, venientique obuiam procedens, et periclitanti imperio ſubueniret, plusquam Imperialem decet maiſtatem humiliiter oſflagitauit.

e) Refert ARNOLDVS LVBECENS. I. II. c. 15. Duceſ a Caſſare aetatis vaſcationem petiſſe, quanquam etiam conueniant, quea Otto de Blasio l. c. habet. Dux igitur Henricus utpote ſolus hoc tempore ſubueniendo imperio potentia, et opulentia idoneus, Goflariam diſſimilam Saxoniae ciuitatem pro donatino ſibi expetiit. Caſſar autem id ſibi inuitio extorqueri ignominia/um exiftimans, minime conſentit, pro quo Henricus ipsum in perciuō conflituum reliquit. In verba eius deinde euentum deprehendimus IO. MICHAEL HEINECCIVM in Antiquit. Goflarienſibus ad an. 1175.

f) ARNOLDVS LVBECENS. I. II. c. 16. et 17. Imperator igitur conuocatis Principibus multa in Henricum allegare coepit. His auditis Principes multa conueri cooperunt. — Pontifices autem omnes eccliarum opprefſiones clamabant. Fata igitur eſt coniuratio valida adiuerſus eum.

g) Idem c. 24. Tunc Imperator cutram inuidit apud Wormatiam, Duceſ tamen praecipue ad audiētiā ciuitatē reponiturum querimoniis Principum. Quod ille intelligens venire diſſimulauit.



comparare detrectauerat<sup>b)</sup>), tandem in Comitiis Wurceburgensis, et Gelnhusianis ex sententia Principum Ducatu, quem beneficio Imperii habuerat, Saxonie, et Bauariae abire est ius-  
sus, substituto in hunc Ottone Comite Palatino de Wittelsbach, in illum Bernhardo Comite, ut vocatur, de Anhalt<sup>i)</sup>.

### §. III.

#### *Historia Bernhardi ante Ducatum.*

Quia vero iam ad Bernhardi mentionem ventum est, necessarium videtur strictim exponere, quo loco natus, quae con-  
ditione ante usus sit, quam in Ducatum eueheretur. Effulsi per-  
antiqua nobilitate domus Ascania, a castro haereditario ita no-  
men sortita, cuius origines ad fabulosa usque tempora studiose  
excussere (BECMANNVS<sup>k)</sup> , et alii, neque possessiones spernendae, quippe quae a Soraborum confiniis ad utramque oram Albis  
fluvii ad saltum Hercynium porrigebantur. Quibus sub initium  
Sec. XI. Albertus VI. ex voluntate Ottonis III. Caesaris Marchiam  
Soltquellenensem<sup>l)</sup> adiecit, donec Albertus Ursus, Ottonis diui-  
tis filius, et Bernhardi parens a Lothario Imp. omnem Marchiam  
Brandenburgicam reciperet<sup>m)</sup>). Is non solum armis late Vene-  
dos perdomuit sibi finitimos, accitis in agros eorum ex Belgio  
tum

<sup>b)</sup> Alteram Magdeburgum acciuerat  
Caesar Henricum tertium Goslariam.  
Optime vero postrema illa Comitia di-  
stinguit GODOFREDVS COLONIENSIS  
ad an. 1180. Imperator natalem Domini  
ni apud Herbipolim celebrat. In me-  
zia Quadrageinta curiam apud Geil-  
husen habuit.

<sup>i)</sup> ARNOLDVS I. c. Imperator Bern-  
hardum Comitem de Anhalt pro eo du-  
cem substituit, et Episcopis, ut sua re-

ciperent, quae in beneficio habuerat,  
praecepit, bona eius publicari insit.

<sup>k)</sup> In historia Anhaltina, praestantis-  
simi opere, quod Serufoe 1710. in fol.  
prodiit, praeter hanc autem eminent EC-  
CARDVS in Originibus Anhaltinis, et  
KNAVTHIVS praeclare meritus.

<sup>l)</sup> KNAVTHIVS in antiquis Bal-  
lenstadenibus p. 87. lingua vernacula  
scriptis.

<sup>m)</sup> Beem. in Hist. Anhalt. Tom. II. p. 28.

tum Oceano dissidenti colonis, <sup>u)</sup> verum etiam post proscriptum a Conrado III. Imp. Henricum Magnanimum Saxoniae Ducatum tandem meruit <sup>v)</sup> quem tamen bello atrocissimo gesto Henrico Leoni restituere coactus erat <sup>w)</sup>. Ex hoc duo prognati filii, Otto, a quo genus duxere Marchiones Brandenburgici ad Waldemarum II. et Bernhardus Duxum Saxoniae progenitor. Natus videtur hic circa annum MCXL. <sup>x)</sup> ex principio autio nomine Comitis de Anhalt insignitus venit, subinde etiam se ipse comitem de Aschersleben <sup>y)</sup> in Diplomatibus appellans. Interfuerat iam cum Alberto patre expeditioni Friderici I. in Italiam MCLIX. <sup>z)</sup>, vbi fortassis primum ei cognitus est, post fara parentis cum aduersus Henricum Leonem clam tot coniurarent Principes, et ipse socius accessit, grauiter ideo ab Henrico castigatus terras eius depopulante, quo in bello vrbs etiam Aschersleben conflagravit <sup>¹</sup>). Tandem vero sententia in Henricum Leonem dicta ei ducatus Saxoniae cessit, cum quod materna stirpe a Magno Billungorum postremo esset oriundus <sup>²</sup>), ipsumque adeo Henricum sanguine attingeret, tum quod in patris, cui Saxonia iam aliquandiu eue-

A 3

nerat,

<sup>a)</sup> Helmoldus in Chronic. Slavorum 1. l. c. 88. Albertus Marchio terram multarum gentium habitantium Hameliam et Albianum misit sub iugum, ad ultimum misit Traiectum, et ad loca Rheni contigua, insuper ad eos, qui habitant in insula Oceanum, et patiebantur vim maris Hollandos, Selanos, Flandros et adduxit eorum magnam copiam, et habitate eos fecit in oppidis et urbibus Slavorum.

<sup>b)</sup> Idem c. 54. Conradus autem rex in solum regni levatus Albertus in Ducatu Saxoniae firmare visus est Bellobant ergo hi duo Principes (Henricus, et Albertus) duarum sororum filii, et commota est uniuersa Saxonia.

<sup>p)</sup> DODECHINVS ad Marianum Scotum ad an. 1141.

<sup>q)</sup> BECMANN. Tom. II. p. 30. fqq.

<sup>r)</sup> Idem p. 37.

<sup>s)</sup> IN ORIGINIBVS GVELFICIS Tom. III. p. 544. a Scheidio editis, Hanover. 1750.

<sup>t)</sup> CHRONICON MONTIS SERENI ad an. 1175.

<sup>u)</sup> Haec fere erat autem consanguinitatis ratio.



nerat, iura successerit, magna etiam in iuuando Friderico ipsius suisset opera.

#### §. IV.

*Qua lege Ducatum adeptus sit.*

Cum Prouinciae, quae Henrico sub Saxoniae titulo paruerat, tanta esset amplitudo, ut, si unus eam obtineret, inuidiam effugere vix posset, diuidi placuit. Quod enim in tali causa vsu venire solet, vt unusquisque vicinorum praedae partem sibi petat, id in hoc negotio factum nemo mirabitur <sup>x).</sup> Adsuere igitur haud cunctanter in primis Episcopi Henrico vehementer infestii, quorum spolia ex prostrato Leone, et conjurationis praemium quisque tulere. Tradunt enim scriptores, iacturam fecisse Principem omnium eorum, quae ab Imperio, atque Episcopis beneficiis possedisset <sup>y).</sup> Repetuit igitur Wichmannus Magdeburgensis Archiepiscopus comitatum Sommersburgicum, cum ca-

stris

M A G N V S Dux Saxoniae.

— | —  
Henricus Niger — Wulfhildis Elicke — Otto Dives  
Bavarice Dux

— | —  
Henricus Superbus

— | —  
Henricus Leo

— | —  
Albertus Ursus

— | —  
Bernhardus.

<sup>x)</sup> Gerhardus Stederburg. de Henrico Leone. p. 130. ap. Meibom. Tom. I.  
Cum iam ipse Imperator, et Principes non nisi propulsione Ducis intenderent unusquisque Principum partes sibi adiacentes, quae ad Ducis ditionem pertinebant atrociter invaserit.

<sup>y)</sup> Ipsum proscriptionis Diploma quod ex GELENIO admiranda magni-

tudine Urbis Colonensis Originibus Guelphicis infectum est Tom. III. p. 101. sic rem designat. Proinde tam Ducatus Bavariae, quam Hesphaliae, et Angariae, et uniuersa quae ab imperio temerit beneficiis per unanimum Principum sententiam ei ab iudicata sunt, reliqu. et ALBERTVS STADENS ad a. 1108

stris Seburg, et Interbog<sup>a</sup>), Sifridus Bremensis Comitatum Stadensem inuasit<sup>a</sup>), Vdalricus Halberstadiensis civitatem Hal-desleben cum territorio occupauit<sup>b</sup>), Philippus autem colonien-sis ipsum Angariae, Westphaliaeque Ducatum ultra dimidium abstulit<sup>c</sup>), neque alii sibi defuere, v. c. Paderbornensis, Osna-brugensis, Mindensis. Qui fidem Ducibus Saxoniae hactenus praestiterant Comites Caesari deditio[n]em facientes, liberi exinde ob officiis in Duces facti sunt, eoque pacto Adolphus Comes Hol-satiae, Bernardus de Raceburg<sup>d</sup>) sibi consilia cepere. Obiit paulo post postscriptum Leonem Casimirus Obotitorum rector Hen-rico deuinissimus, qui fratrem successorem habuit Bugislaum a Friderico impetrantem, vt ipse inter Principes Imperii cooptare-tur<sup>e</sup>). Iam his alienationibus satis accisa videbatur Ducis au-tori-

<sup>a</sup>) Chronicon Magdeburgense apud MEIBOMIUM script. Germ. Tom. II. p. 328. Wichmannus Episcopus poten-tior fuit, quam unquam aliis in ciuitate Magdeburgensi. Procul vero ex veteri Ms. litteras Lucii Pontificis, quibus haec possessiones ei confirmantur, iple vero ab studiis sedicendae Ecclesiae collaudati. Scheidius in Praef. ad Tom. III. Origg. Guelf. p. 25.

<sup>a</sup>) Eiusdem rei Diploma, quo Sifrido tum adhuc Bremensi Archiepiscopo Co-mitatus Stadensis ab Imp. Friderico I. conseruit, iam assertoruit LINDENBROG, in scriptt. Sepientrion. p. 168 ex quo repoufuit Origines Guelficae, p. 552.

<sup>b</sup>) Chronicon Halberstadiense apud LEBENITIVM scrips. Brunswic. Tom. II. p. 137. Pro isto factio Henrico coram Imperio Ducatus Saxoniae, et omnia, quae habebat per sententiam sunt abiudi-cata. Epis. opus quoque Castrum Al-densleben, quod quidam ministeriales in-ter beneficia sua computauerant, et

castrum Gatersleben, quod in allodium Episcopali tempore electionis suae con-structum erat ad Episcopalem recuper-a-uit possessionem.

<sup>c</sup>) Diploma Colonense supra lauda-tum: Nos itaque Ducatum Angariae, et Westphaliae dominimus, et dicit[ur] Prin-cipi Philippo Archie. Colon. unam par-tem, quae in Episcopatum Colonensem, et per totum Paderbornensem Episcopa-tum protendebat, cum Comitatibus, Curtibus, et. consensu dilecti Ducis Bernhardi, cui reliquam partem con-cessimus, contulimus.

<sup>d</sup>) Comes etiam Bernhardus, et Co-mes Adolphus castra et Provincias suas per Imperatorem adepti sunt. ARNOL-DVS l. II. c. 36. De comitatu Olden-burgensi idem refert. Ioan. Schiphoweri Chronic. Archicomitum Oldenb. ap. MEIBOM. Tom. II. p. 245.

<sup>e</sup>) ARNOLDVS l. II. c. 31. Circa dies illos mortuus est Cezamus Princeps Po-meranorum, Ducis amicissimus, et defe-terunt



ctoritas, magis tamen adhuc derogabant bona peculiaria Henrico Leoni seruata. Quanquam enim horum in ipsis proscriptio[n]is literis nulla sit mentio, imo Chronicon Montis Sereni diserte ait, haereditatem non minus, quam beneficia ei fuisse ademta <sup>1)</sup>, postea tamen in Comitiis Erfurtensibus, Henrico gratiam Caesaris exorante, ita decretum est, ut ipse in exilium proficisceretur, patrimonium vero illibatum ei interea temporis ab omni iniuria prohiberetur, idque Goslariae anno MCLXXXVII, cum Friderico Imp. ad expeditionem in Asiam procinctum faciente Henricus altera vice exulatum abiaret, denuo confirmatum legimus <sup>2)</sup>. Fuerant autem lautissima sane in Saxonia Comitum Northeimensium, Billungorum, Brunouicensium et Supplinburgensium praedia et possessiones, quae tandem post felicia harum propaginum connubia in uno Henrico Leone omnia coauerant<sup>3)</sup>. At quam opulenta omnino haec bona fuerint, indicio esse potest,

cerunt ac eo Slani, quia frater eius Bungislaus Imp. coniunctus hominum et tribus persoluit. Idem docet SAXO GRAMMATICVS I. XVII. et STRVIVS in Corp.

Hist. Germ. Tom. I. p. 411.

f) ad an. 1180. Henricus ex sententia Principum reus malefatis damnatus, omnisque ei haereditaria proprietas, et beneficiaria posseffio ab iudicato est, neque obsecruius CHRONICON BOTHOHONIS picturatum ap. Leibnit. Tom. III. ad an. 1180. In duffem Iare lat. de Keyser Frederick to houe synen oehm, de Hertoghe Hinrick den Laween, unde uortelde oem syn Lande, unde syn Len, unde syn Arue, und eghen. Iam supra ex Arnolde etiam obseruatum est bona Henrici publicata esse, quae cuncta mili demum persuaser, omnino a primo proscriptio[n]e haereditaria bona non exempta fuisse, alioquin enim in Comitiis Erfordensibus ea exceptio non tanquam fin-

gularis fauor ei imputari potuisset, quod tamen iterum ex Arnolde verbis intelligitur. Hoc tamen circa illum dispensatum est, ut patrimonium suum ubicunque terrarum libere possideret. Itemque Chronicon antiquum Erfordense, Sampertrino subiectum ap. MENCKEN. Tom. III. p. 227 De duobus Ducatis duas tantum ciuitates, scil. Brunswic et Luneburg, (cum territorio suo) et has quidem virx, et aegre, sed augurali clementia concedente recepit.

f) GERHARDVS STEDEBVRG pag. 431. Imp. conuentum in Goslaria habet, ubi Henricum iterum trium annorum exilio deputauit, ipsum et omnia sua in firmissima pace constitueens.

h) Q[uod] argumentum de industria exposuit PETRVS PLESKEN in Disquisitione de Patrimonio Henrici Leonis, Gottingae 1752. cuius tamen alteram partem morte praeuersus non exhibuit.

est, quod sequiori tempore ab Ottone Puerō Friderico II. Imp. in Feudum oblata Ducatum Brunouicensem et Luneburgicum effecere<sup>i</sup>). Quidquid igitur his omnibus amputatis de Henrici ditionibus reliqui factum erat, Bernhardo in feudum sub nomine Ducatus Saxonici commendatum esse, nobis persuasimus.

## §. V.

*De statu Saxoniae ante Bernhardum.*

Iam igitur, quia res non tam in confessō esse videtur, quid post haec amissa, ad Ducatum Saxonie pertinuerit, commodum statuimus, ad ipsa gentis primordia paululum remeare, vnde ad hunc locum fortassis explicatior decurrat historia. Saxones ab antiquissimo tempore Holsatiā, id ipsum nomine suo testificantem coluisse accepimus<sup>k</sup>). Inde piraticam dudum facientes<sup>l</sup>) ineunte Seculo V. cum ingenti multitudine Britanniam ingressi<sup>m</sup>), sedes desertas Venedis e Septentrione profectis patefecere<sup>n</sup>). Sed iam aliquanto ante tempore, ad deuexiora cotimigrantes viramque Albis, qua se Oceano ingurgitat, latus impleuerant, sensim ad Visurgim, postremo ad Rhenum usque pergentes. In quatuor vero praecipuas regiones tum distinctos fuisse inuenimus, vnam, quae ab Albi ad Visurgim spectabat, Ostfaliā, alteram a Visurgiā ad Rhenum porrebat, Westfaliā, tertiam, quicquid in-

ter

i) Cuius investiturae literas sunt MELBOMIVS Tom. III. p. 226. et SCHATTENIVS Annal. Paderbornens. I. XI. p. 26.

k) CLAVDIVS PTOLEMAEVS, I. II. c. II. Ερείπειον τον ἀυχενα της Κιμβρικης Ηγενεων. Σταύρων. et IAC. CAROL. SPENER IN NOTITIA GERMANIAE MED. p. 381.

l) AMMIAN. MARCELLIN. I. XXVIII. Erupit Augustis ter Conf. Saxonum multitudo, et Oceanum difficultatibus

permeatis Romanum limitem gradu pe-  
tebat intento, saepè nostrorum funeribus  
paſſa.

m) De his migrationibus consulendi  
sunt, BEDA in Hist. Eccl. Gentis Anglo-  
rum, NENNII Historia Britonum, et  
Gildae Historia a Thoma Galeo editi,  
E quibus multa excerptis LEIBNITIUS  
Rerum Brunsvic. Tom. I. p. 31. sqq.

n) BANGERTVS ad Helmoldum p. 12.  
et Spenerus I. c.

B



ter utramque iaceret, continentem, Angariam, ultimam ad ultiorem Albis ripam sitam Nordalbingiam<sup>o</sup>). Ea iam erat rerum facies, cum Carolus M. diuturnum inter Francos et Saxones odium horum debellatione demum componeret, Prouinciamque diuisim regundam Comitibus, atque Episcopis relinquenter. Atquum Saxoniae fines cum appendicibus suis ad Eidoram usque fluuium pertigisse conspicuum est<sup>r</sup>). Paulo quidem post ita res immutata, ut Comitibus abrogatis iterum Duces acciperet ex Northeimensi familia, quos aequa ultra Albitum multum imperitasse comperimus<sup>t</sup>). Posteaquam vero extincta Caroli Prosapia Henricus Ottonis Ducis Saxonie filius vniuersae Germaniae praesesse coepit<sup>r</sup>) prouincia iterum ab Ottone Magno Imp, proper crebra in Italia bella gerenda Hermanno Billungo antiquae nobilitatis, et expertae virtutis viro primo in vicariam administracionem, deinde etiam posteris eius in feudum imperii credita

<sup>o</sup>) POETA SAXO ad. a. DCCLXXII.  
de Cisalbina Saxonia.

Sed generalis habet populos diuisio  
ternos,

Insignita quibus Saxonia floruit olim,  
Nomina nunc remanent, virtus anti-  
qua recessit.

Denique WESTPHALOS vocitant in  
parte manentes

Occidua, quorum non longe terminus  
amne

A Rheno distat. Regionem solis ad  
ortum

Inhabitant OSTERLINGI, quos nomi-  
ne quidam

OSTPHALOS alio vocant, confinia  
quorum

Insestant coniuncta suis gens perfida

<sup>SLAVI</sup> Inter praeditos media regione mo-  
rantur

ANGARII — — —  
IDEA de Nordalbingia ad a DCCXCVIII.

Saxorum populus quidam, quos clau-  
dit ab Auro  
Albia, seumblum positos Aquilonis ad  
axem

Hos NORDALBINGOS patrio sermo-  
ne vocamus.

p) HELMOLDVS II. I. c. 3. Diuisa  
erat Saxonia in octo Episcopatus, quibus  
etiam Caesar huius vitae stipendia multo  
honore, et plena munificencia prouidit. et  
paulo post, Henning (Rex Danorum)  
cum Imperatore pacem faciens accepit  
Eidoram regni terminum.

q) GEORG: FABRICIVS in Origg.  
Saxon: I. II. p. 96. et HENR: MEIBOM:  
de Ducibus Saxonie ante Billungos.

r) WITTICHINDVS CORBEIENS.  
Anna. I. I. et DITMARVS Merseburg.  
sub initium I. I.

dita<sup>4</sup>). Hos autem viisque potestate in terras Transalbinas ex beneficio Caesarum auctos fuisse inuicta habemus Scriptorum testimonia<sup>5</sup>). Quamquam' vero Slavi in iis paribus positi ob impotentem Ducum Saxoniae dominatum res suas sibi habere saepius tentarent<sup>6</sup>), tamen subinde imperii maiestatem in dirimendis litibus suis agnouisse inuenimus. Postremo ob Wulfhildis Magni nouissimi Billungorum filiae cum Henrico nigro Bauariae duce coniugium, ex quibus nuptiis Henricus Superbus prodiit, Lothario Imper. jubente ad Guelfos Saxoniae Ducatus delatus est<sup>7</sup>). Henricus igitur Leo, Superbi filius tantis opibus instructus omne nomen Slavicum facile ad obsequium redire compulit, tantaque auctoritate rexit, vt, cum ipse viribus suis nimis fideret, post habita Impp. ratione, sibi magis, quam imperio subesse viderentur.

### §. VI.

*Ditiones Laurenburgicae ad feudum pertinuere.*

Haec autem ideo paulo diligentius recensuimus, quia extiterunt nostra memoria Viri alioquin in Historia primi, sed in hac re fortassis causa sue nimium studiosi, qui terram Lauenburgiam tanquam armis quaesitam non ad Ducatum, sed ad peculium

B 2

<sup>5)</sup> HERMANNVS CORNERVS in Chronico ad a. 982. Otto Imp. iturus in Italiam de coniunctio et beneplacito fideliuum suorum Hermanno Tutelae vicem in Saxonia et Westphalia commisit, postquam vero strenuitatem eius percepit, ipsum Ducem fecit, et ex tunc sibi, suisque haeredibus, et successoribus ipsum Ducatum iure perpetuo possidendum delegavit et ALBERTVS CRANZIVS Saxon. l. IV. c. 16. Hunc ego nouum Ducem Saxoniam quoque transalbinam tenuisse crediderim, quod limitaneus esset.

<sup>6)</sup> Locus omni maior exceptione est apud WITICHIN D Corbei. l. III. p.

660. Erant duo subreguli Herimanno Duci inimicitiae a patribus vicariae restiti, Selibur et Mislaw Selibur praeerat Waaris, Mislaw Abotritis et DITMARVS MERSEB, l. II. p. 233. Ed. Leibnit. Hermannus Dux Seliburem, et Mislaw Imperatori tributarios fecit.

<sup>7)</sup> Helmoldus l. I. c. 16. Eo tempore dominio potiti sunt Theodoricus Marchio, et Bernhardus Dux, quorum ignavia Slavos coegerit desertores fieri.

<sup>8)</sup> MONACHVS WEINGARTENS. de Principibus Guelfiscis. c. XI, et HELMOLDVS l. I. c. 54.



lium Henrici Leonis perrinuisse existimarent. In his vero multis versatur in primis Cel. AYRERVS<sup>y</sup>), cui ex ipsa rei indole argumenta quaedam in contrarium reponemus. Principio quidem, ut supra iam demonstrauimus, semper Saxoniae pars fuit Nordalbingia, et quantumvis Slavis acriter instantibus saepe prementur Saxones, neutquam tamen appetat eos omnem prouinciam transalbinam deseruisse, sed potius Slavis, Venedis atque Obotritis permixtos incoluisse pro certo habemus<sup>z</sup>), praesertim in iis tractibus, qui ad alterius Albis ripae longitudinem protendebantur, vbi Lauenburgicam terram sitam esse nouimus. Deinde, etiam si concedamus Henricum regionem eam, quam Polabi antea tenuisse dicuntur<sup>a</sup>), belli iure iterum edomuisse, ideo tamen, cur ad patrimonium eius accenseri debeat, haud nobis liquet. Cum enim declaratum sit, antea Imperio paruisse eius terrae incolas, atque iisdem legibus, ac reliquam Saxoniam Ducibus cum imperio in Slavos esse commissos, Henricus tam non nouam sibi ditionem comparare potuit, vt nihil aliud egerit, quam terram ab Imperio auulsam receperit. Idque tanquam Saxoniae Dux adeo facere debuit, ne segniter prouinciam procurasse, aut censum minuisse videretur. Neque vero ipse Henricus diffidet in Diplomate erectionis Episcopatum in terra Slavorum se eos de bonis Imperii dotauisse<sup>b</sup>), idemque diserte affirmant litterae Friderici Caesaris, Henricum Ducem Prouinciam transalbinam

y) in *Vindictis Iuris Brunsvicensis et Lüneburgensis in Ducatum Saxo Lauenburgicum Göttingae 1754.*

z) Quod vel maxime hei debuit ob Episcopatus in vicinia conditos, Hamburgensem, Aldenburghensem, seu Star-gardensem aliosque. Helmoldus<sup>l</sup>. I. c. 34. n. 8.

a) Id. c. 91. Porro Henricus Comes de RACEBURG quod est in terra Pola-

borum adduxit multitudinem hominum de Westphalia, vt incolerent terram Polaborum.

b) de anno 1154. Quod legitur apud Dn. de WESTPHALEN de Rebus Cimbriis Tom. II. p. 1999. Vbi Henricus, tres Episcopatus, Raceburgensem, Suerensem, et Lubecensem instaurasse, et singulos eorum de bonis imperii dotauisse affirmat. Cuius rei copiam prius

nam a munificentia regia obtinuisse<sup>c)</sup>). Haec loca iam mire exercuerunt Doctissi. AYRERVM, et Dn. de WESTPHALEN, qui de hoc quidem ita se expedire studet, Henricum Ducem non tam ratione originis, et tituli, sed ratione protectionis communis et confirmationis eam terram ab Imp. tenuisse, cui, cum origines, titulos que iam supra copiosius indagauimus, nihil ultra responderi debet, quia hoc intellecto torum eius aedificium corruit. Alterius autem loci vim idem Dn. de Westphalen sic infringere tentat, ut per bona imperii secundum usum Scriptorum huius Seculi allodia designari contendat, cuius significationis nos neque probationem, neque exemplum vnuquam vidimus. Illud vero, quod Ayrerus maxime instat, Slauos Ducem supra Caesarem coluisse, inde factum esse patet, quod Imperator multis aliis negotiis districtus harum regionum curam laxiorem habere cogebatur, Henrici contra vicinitas cum terrore simul reverentiam iis incutiebat. Quibus nunc curatius examinatis, constare credo, Bernhardum terram Lauenburgicam occupantem nequaquam iniurium fecisse, cum ex antiqua Ducatus Saxoniae formula id omnino licuisse exploravimus<sup>d)</sup>, praeterea vero Episcoporum cumprimis rapacitatem parum aut nihil ei reliquisse in ipsa Westphalia, et Angaria iam supra attigimus.

## B 3

## §. VII.

ab Imperatore ei factam esse ex alio Diplomatico Caesareo apud Eundem p. 2022, discimus: *Liberam Henrico concessimus potestatem, ut ecclesiis illis de bonis regni conferat, prout voluntas sua persuaderit, et terrarum speciositas permiliter.*

c) In *Originibus Guelf.* Tom. III. p. 27. Quarum literarum genuinum exemplum adhuc in Archivo Brunswicensi custoditur. Vbi concepta verba haec sunt: *Dilecto nostro Principi Henrico, Duci Saxoniae iniunximus, ut in prouincia*

*ultra Albim, quam a munificentia nostra tenet, cet.*

d) Miror LEVINVM DE AMBEER, Iuris Ascaniorum in Ducatum Lauenburgicum propugnatorem in libello Theodosio (*Sachsen Lauenburgischer Stammfall*) Hamburgi: 1690, questionem hanc de feudalitate Lauenburgicae indole siccō admodum pede transisse, nisi id fortassis eo factum recte suspicor, quod hec controversia nouissime demum ab Ayreto, aliisque mota esset.



## §. VII.

*Gessit Bernhardus nomen et insignia Ducis Saxoniae.*

Haud dissimulanter scripsisse inuenio Auctores Originum Guelicarum, abstinuisse ab initio Ducis Saxoniae titulo Bernhardum, arque in Angariae et Westphaliae nomine acquieuisse <sup>e)</sup>). Quod quanquam nobis nihil omnino officere videatur, tamen quia habemus, quae illis aduersa proferamus, addere non piget. Nam I) Ita eum appellant omnes, qui memoriam eius attigerunt, scriptores, quorum testimonia hic referre longum foret, II) Se ipse in Diplomatibus statim post Comitia Wurcebburgensia editis Ducem Saxoniae vocat, neque minus in iis, quibus testis interfuit <sup>f)</sup> III) Deuenere ad nos Bracteati nonnulli ab eo percussi, qui Ducis Saxoniae inscriptionem clare referunt <sup>g)</sup>, IV) Non obstat, quod Henricus Leo, filiius eius nomen Ducem Saxoniae sibi arrogauerunt, saepenumero enim vox QVONDAM ei coniuncta reperitur <sup>h)</sup> manifesto indicio, de dignitate pristina sermonem agi, deinde honorarium hoc Ducis nomen saepe eos retinuisse, quorum maiores Ducatum olim gesserint, ut Zaringenses, et Louaniens-

e) Nominatum GRVEBERVS haec talia premit, in Animaduersione, ad *Origg. Gueſſ.* Tom. III. p. 106. Diplomate frētus cui *Bernardus Dux Westphaliae et Angariae* sublēcriptis, inter Probationes no. 85. Est vero instrumentum hoc omnino anni 1181. Quia autem statim aliud excipit eiusdem anni, No. 88. in quo luculenter *Dux Saxoniae* ponitur, permurata esse haec nomina sine graui causa intelligitur.

f) apud *Becmannum* Tom. I. p. 439, sqq. et in *ORIGG. Gueſſcis* Tom. III. p. 540, sqq.

g) Quos interpretatus est *Guil. Ern. TENZELIVS* in Commentariis eruditis, *Monatliche Unterredungen* ad a. 1691.

mens. August. p. 619. sqq. et *Becmannus* T. I. p. 555.

h) ROGERIVS HOVEDENVS in Annali Angl. ap. Leibnit. Tom. I. p. 879 in Formula pacationis inter Richardum Regem Angliae et Henricum VI. Imp. Si Dominus Rex soluerit promissionem, quam de Henrico, quandam Duce Saxoniae fecerat itemque GODEFRIVS colon. ad a. 1185. *Chronicon vero Luneburgicum* ap. LEIBNITIVM Tom. III. p. 174. sic loquitur: *Hertog Hinrich hadde drie sons, Otto, de na tho Keifer koren wart, de ander Hinrich de drude Wilielm, de heeden de Heren van Brunschwick, und Lüneborch, und hadde den neue hoger namen, noch andere titel.*

nienses, hi ob Ducatum Lotharingiae illi ob Sueviam a gente sua olim possessam, postremo etiam hoc ipso nomine viri desierunt Henrici posteri, postquam eorum patrimonium in Ducatum Luneburgicum excederat. Eruta vero tenemus adhuc ex fidissima veritate sigilla Bernhardi Ducis Saxoniae inscriptionem praferentia<sup>i</sup>). Quicquid autem ob Saxonici Ducatus accessionem in insignia gentis Ascaniae transfluerit, aut innouatum reperiatur, singulari industria inuestigavit Philipp. Iac. SPENERVS<sup>k</sup>).

### §. VIII.

*Tura in Ducatum Saxoniae exercuit Bernhardus,*

1) *A Comitiis Heribopolitanis ad obitum Henrici Leonis.*

Vidimus haecenius Bernhardum rite factum Ducem Saxoniae, nunc quid in ipsa Saxonia gesserit, quaeue eius ibi fuerit auctoritas per singulos, protin liquet, annos eundo dispiciemus, vt simul opinioni eorum obuiam eatur, qui paulo indignius de eo iudicauere. - Armis autem erienda era Henrico Leoni prouincia sine sanguine nihil dimisstro. Atque ab initio tam prospera ille vtebatur fortuna, ut non modo statim post sententiam in ipsum MCLXXX. in Comitiis Wurceburgensibus latam Comites sibi in Westphalia inimicos atroci proelio prope Osnabrugam funderet<sup>l</sup>), sed etiam cum exercitu in Thuringiam mouens vrbes Muhlhusam, et Nordhausam destruxit, copiasque Ludouici Thuringiae Landgrauii, quibus etiam Bernhardum adhaesisse memoratur a nonnullis, in fugam actis Ludouicum cum fratre Hermanno Palatino cepit, Bernhardo ad sua dilabente<sup>m</sup>). Eo tamen in proelio

<sup>i</sup>) apud BEGMANNVM Tom. I. p. 541. ex donatione Bernhardi Coenobio Kolbicensi facta.

<sup>k</sup>) In Historia Insignium Illustrium Francof. 1680. p. 25, fqq.

<sup>l</sup>) Nomina eorum recenset ARNOL.

pvs I. II. c. 27. scil. Comes de Tecklenburg, Rauensberg, Arensberg, et Schwabenberg, sic continuans, et ATTRITI

SUNT WESTPHALI FLAGA MAGNA,

<sup>m</sup>) CHRONICON MONT: SER. ad a.

1180. *Henricus Dux congregato exercitu*



proelio vehementer erga se irritauit animum Adolphi valentissimi Holsatiae Comitis, dum de captiuorum diuisione iurgium inter eos oritur <sup>1)</sup>) quem, cum antea sibi coniunctissimum haberet, ex eo tempore magno incommodo suo hostem expertus est. Proxima vero aestate MCLXXXII. ingens rerum conuersio facta est. Imperator enim Fridericus sollicitatus Principum querimoniis collecto in Suevia Bauariaque milite, secumque Bernhardum nonum Saxoniae Ducecum permultis Germaniae Proceribus ducens ipse Henrici fines ingressus est, cuius aduentu plerique eius clientes attoniti fidem mutauere <sup>2)</sup>). Ipse vero Imp. exercitu tripartito arces Lichtenberg, Blanckenburg <sup>3)</sup>), et Leuenberg <sup>4)</sup>) simul obsidione cinxit, quas omnes vno die cepisse dicitur. Vrbs opulentissima Bardeuicum vltro deditioinem fecerat, <sup>5)</sup> cuius tuendae cura Bernhardo nostro, et fratri eius Ottoni Brandenburgensi tradi-

ctu Saxoniam ingreditur, folles Goslarientium incidit, officinasque destruit. Ludovicus Landgravius et frater eius cum CCCC, et amplius capti sunt. Bernhardus Dux cum caeteris fuga elapsus est. Castrum Northulen, et monasterium Sanctorum patrum in eo situm, igne absumptum est. Quo in proelio Bernhardi fortitudinem mirifice collaudat. Chronicus Peguensis Continuatio ad h. a. ap. MENCKEN: Tom. III.

<sup>1)</sup> Istitus dissidi semina, et eventum persequitur ARNOLDVS l. II. c. 30.

<sup>2)</sup> ARNOLDVS. c. 31. Imperator vero audiens, quod hi defecissent a Duce, conuerit faciem suam venire in Saxoniā. Et eo approximante siue ex necessitate, siue ex voluntate, omnia castra eius firmissima et seipso ministeriales Imperatori tradiderunt.

<sup>3)</sup> ARNOLDVS l. c. Chronicum Picturatum ad s. 1181. et Chronicum Mont. Ser. ad h. a.

<sup>4)</sup> Multi sibi iam urbem LAVENBURGVM hic inuenisse visi sunt, auctoritatem Chronici Brunsvicensis Picturati sequuntur, idemque erravit etiam Albertus Cranzius. Sed Lauenburgum vtique non hic designari inde clarissimum est, quod duobus annis post ea demum a Bernardo excitaretur. Deinde etiam Lauenburgum trans Albin sita est, quam regionem trans Imperator Henrico parentem, nondum attigerat. Mihi itaque ex natura locorum a x LEWENBERCH esse videtur iuxta Lüneburgum surgens, cuius iam superiore tempore scriptores meminere. v. c. GOBELINVS PERSONA Aetar. VI. c. 50. Eodem anno Bernhardus de Lipvia ex Parte Ducis montem LEWENBERCH occupat, et Meibomius in Notis ad Henrici Rosiae Heilingsbergam Tom. I. p. 785.

<sup>5)</sup> SAGITTARIUS in Hist. Bardeuici. p. 213.

dita est <sup>5)</sup>). Atque ita Hertesburgo antiquissimo Saxonie castello  
communito, et custodia Brunouici Philippo Colonensi relicta Im-  
perator ad Albim perrexit <sup>6)</sup>). Interea vero Henricus in Nordal-  
bingia rerum suarum in firmando Lubeca Stadioque sategerat,  
Bernardus autem comes Raceburgensis prodigionis ei insimulatus  
ad Bernardum Ducem confugit <sup>7)</sup>), cum subito Imperator adesse  
nunciaretur. Incenso itaque Errenburgo suspecto pariter Impera-  
toris praesentiam non sustinens Stadio se Henricus clausit. At Cae-  
sar reliquorum securus mox Lubecam copiose praesidio instructam  
post breuem obsidionem ad obsequium redeuntem postea ciui-  
tatem imperii esse iussit <sup>8)</sup>). Tandem ergo Henricus desperans de  
salute sua dimisis primo, quos secum captiuos habuerat, Ludo-  
nico, Hermannoque cum squalore in castra Friderici venit, pacem-  
que orauit, cui ille ob Principum infrequentiam Quedlinburgi  
diem causae agendae constituit. Postquam vero ibi Bernhardo  
Ascanio acriter instante nihil confectum erat, alterum Erfordii con-  
cilium egit <sup>9)</sup>), hoc euentu, ut Henricus rebus suis in potestate  
Imperatoris positis, integro tamen patrimonio, Germania per  
triennium excederet <sup>10)</sup>). Quo facto morem ille gerens in An-  
gлиam fē ad Richardum socrum contulit. Ex hoc itaque tem-  
pore

s) Caesar Bernardum Ducem, et Ottonem Marggraftum de Brandenburg depositum Bardewich. ARNOLDVS I. II. c. 34.

t) Idem I. c.

u) Idem c. 35.

x) CHRONICON SLAVICVM ap. LIN-  
DENBROG. p. 37. Lubecam Imperia-  
lem, et quod effet caput omnium ciuitatium  
maritimarum. et quod omnes Con-  
sulares effent in Consilio Imperatoris in  
perpetuum constituit.

y) ARNOLDVS c. 36. et ERFVRDIA-

NVS ANTIQVITATVM VARILOQVVS  
ad a. 1182. MENCKEN. Tom. II. Tan-  
dem Dux Erfordiae maiestatem Imper-  
iale existentem agnouit, et eum humiliter  
eisdem praesentauit. Et je suis omnibus  
vellet, nollet abdicavit.

z) Rogerius Houedenus ad a. 1182.  
eum septem annorum exilio multatum  
scribit, eorum tamen quatuor deprecato-  
re Pontif. Alexandro illi Imper. remisit-  
se, Censem vero doctissimum LEIBNITIVS  
maiorem fidem mereri Houedenum, quia  
ista venia per Anglos imperata sit.

pore Bernhardus pacatam prouinciam ordinare coepit <sup>c)</sup>). Interdicto enim tempore Ertenburgum clientes arcessivit ex Westphalia, et Transalbina terra ad sacramentum sibi praestandum. Apparuerunt autem e Cisalbina prouincia Comes Dannebergensis, et Luchouiensis, e Nordalbingia Suerinensis, - Raceburgensis <sup>b)</sup>). Ex quo patet, colligere tum studuisse Duxem quasdam in Westphalia atque Angaria Ducatus lacinias, quae tamen postea, quia hinc inde dispersae erant, plane euanuerunt. Exspectabatur etiam in solemnibus istis Adolphus Holsatiae, et Schauenburgi Comes, sed hic adesse recusauerat, quam ob rem inuisus inde Bernhardo esse coepit. His compositis nouae arcis condendas Lauenburgo ad vteriorem Albis marginem serio intentus fuit, adhibitis in structuram Ertenburgum ab Henrico exusti lapidibus, ac caementis <sup>c)</sup> sperans se hoc castello et facile transalbinam terram in officio continere, et ob fluminis traiectum opimos redditus habere posse. Quod tamen aegre ferentes Lubecenses perfecrunt, ne ab Errenburgo transmeandi oportunitas auelleretur <sup>d)</sup>). Deinde pro ciuitate, Lubeca, quam ad se pertinere contendebat Bernhardus ab Imperatore Hidesacker cum agri certa portione recepit <sup>c)</sup>). Tum vero etiam in Obotritis eum claruisse inde colligimus, quod Niclotus Meclinburgensem, et Iermarus Rugianorum

*a) CRANZIVS SAXONIAE I. VI. c. 45.*  
Dux autem axoniae iam pleno videtatur iure dominari prouinciae.

*b) ARNOLDVS I. III. c. 1.* Dux autem Bernhardus veniens Ertenburg, magnificum se illi exhibuit, et nobiliores terrae adesse preecepit ut receptis ab eo beneficis hominum ei facerent reliqua.

*c) idem I. c. 4.* Dux autem Bernhardus coepit aedificare LAUENBURG super littus Albii ad orientalem plagam Ertenburg. Cum igitur haec ciuitas Bernhardo natales suos dbeat, vix credibile est ab Henrico Leonis cognomine ita no-

men fortitiam esse. Audiebat vero inter Slavos Albii fluuius vulgo LABE, unde et POLABORVM gentem ad Albim extensam, et ciuitatem eidem fluuiu impenetrabilem Labenborg m vocam esse vero similius est. Vid. Cap. DANKWERTH Descriptio Holsatias p. 244. et Tenzelius loco supra laudato.

*d) CRANZIVS I. c. cap. 44.*

*e) ARNOLDVS I. III. c. 4.* Imperator ciuitatem Lubecke propter utilitatem tributorem, et quia in fine Imperii sita est, sibi retinuit, Duci iamen Hidesacker, et viginti manjos valde bonos confignat.

norum princeps amici eius dicuntur<sup>f</sup>). Cum autem nobilium quoque insolentiam castigare conaretur, insurrexere aduersus eum Adolphus Holsatiae, Guncelinus Suerinensis, et Bernhardus Rabeburgensis Comites, arcemque Lauenburgum obsidione vallatum solo aquauerunt<sup>g</sup>). Cuius iniuriae postquam ad Caesarem querelam derulerat, illi graui mulcta indicta castrum restituere coacti sunt<sup>h</sup>). Ex hoc igitur Saxoniae quicquid ad eum spectabat quiete rexisse nemo inficiabitur. Quia autem ob vires attritas, exiguoisque prouentus non pari severitate aut magnificencia, ac Henricus olim uti poterat, factum est, ut Arnoldus Lubecensis eum segniorum in administrandis rebus fuisse, fugillaret, quem tamen alias et virum strenuissimum, et mansuetum appellat<sup>i</sup>). Ab exilio quidem reuersus erat anno MCLXXXV. Henricus, sed Caesaris indignationem timens Brunouici innoxius haefit, neque quicquam innuatum accipimus usque ad annum MCLXXXVII.<sup>k</sup>). Tunc enim Fridericus de expeditione in Asiam serio cogitans, ne turbas faceſſeret interea Henricus Goslariae

C 2 comi-

<sup>f)</sup> Idem cap. 4. et CRANZIVS IN Wandalia l. VI. c. 24 Nieloto Bernhardus Dux studebat, Burewino Bugislaus, Pomeranorum princeps.

<sup>g)</sup> ARNOLDVS l. c. Quia Adolphus medietatem tributorum in Lubecke possebat, impetebat eum Dux Bernhardus. Comitt vero de Raceburg et Suerin partem beneficiorum minuere studebat. Unde hi congregati in unum Lauenburg expugnare aggressi sunt, et post paucos dies ad solum diruerunt.

<sup>h)</sup> Idem cap. 7. Discordantes a Duce Bernardo Adolphum Comitem, et Bernhardum, et Guncelinum ad concordiam reformauit Caesar, ea conditione, ut Adolphus septingentas marcas argen-

ti ei persolveret, et gratiam eius pro deſtructio caſtello inueniret. Omnes tamen caſtrum deſtructum reaedificare studerent.

<sup>i)</sup> Idem sub initium Lib. III. Post exitum Ducis Henrici, qui solus in terra praevaluerat, et pacem maximam fecerat, tyranico more virus quisque regnabat in loco suo. Dux vero Bernhardus, cum prius in Cometa positus fratum strenuissimus fuisset, ad Ducatum promotus ut superpositus degenerabat, et quasi pacificum se exhibens in omnibus tardus et difſinctus erat.

<sup>k)</sup> GODEFRIDVS Coloniensis ad 2. 1185 Dux Saxonie de Anglia redit, proprio tantum contentus patrimonio.

comitia indixit, ex quorum scito ille societatem belli deprecatus denuo per triennium Germania abire iussus est<sup>1)</sup>). Quod quidem haud cunctanter fecit, at per absentiam Caesaris, Comitisque Adolphi rei redintegranda occasionem speculatorus de improviso MLXXXIX. ex Anglia Stadium venit<sup>2)</sup>), honorifice que exceptus ab Hartuico Bremensi Archiepiscopo, auxiliisque ex Holstia vicinisque terris coactis primo praesidia Adolphi ubique deturbauit,<sup>3)</sup> mox ad orientem conuersus Lauenburgum expugnat,<sup>4)</sup> Bardeuicum vero ob ignominiose facta funditus exscindit.<sup>5)</sup> Henricus quidem iunior a patre Friderico procurandae Germaniae relictus, ne tantorum motuum otiosus spectator videatur, Brunouicum obsidione tentauit, sed re infecta fugienti similis inde recedere coactus erat. Percrebuit interea de Friderici Caes. morte fama, quare iter in Italiam maturandum ratus Henricus Rex his legibus cum Leone, pacem iniit<sup>6)</sup>), ut ille Lauenburgum dirueret, Brunouici moenia deuiceret, Lubecam cum Adolpho diuisam possideret, omnia hastenus expugnata redderet datis ad firmandum obsequium Henrico, Lotharioque filiis obsidibus. Quorum quidem omnium ille vix postremam partem impleuit. Quid hucusque autem Bernhardus egerit nunquam apparet, tandem vero MCXCII. iterum in publicum prodit, atque Adolphum e Palaestina redeuntem ex auctoritate Caesaris cum exercitu Erteneburgum deduxit, quia reliqua itinera a milite Henrici

1) GERHARDVS STEDERBVRG. Imperator ab odio nobilis Henrici non cef- favit, quia antequam expeditionem arriperet conuentum Principum in Gosla- ria habuit, ubi iam dictum Henricum trium annorum exilio deputauit.

2) GODEFRIDVS COLON ad a. 1189. Henricus quandam Dux Saxonie cog- nita Imperatoris absentia de Anglia re- uersus natuum solum expedit, adspicu-

lante sibi Rege Richardo, et rege Dacie genero suo.

3) ARNOLDVS I. IV. c. I.

o) dem cap. 2.

p) MEIBOMIUS de Excidio, Bardeuici.

q) ARNOLDVS I. IV. c. 3. et GER-

HARDVS STEDERBURGENSIS p. 431. Post a Henricus Dux se subdidit et spe recuperandi pristini honoris Regi faci- factionem exhibuit, ac duos filios suos obfides constituit.

rici Leonis obsessa tenebantur<sup>r</sup>). Ex hoc itaque tantum intelligitur, non omni prorsus excidisse in Saxonia possessione post Leonis redditum Bernhardum, sed potissimum adhuc castra cisalbina sub potestate retinuisse. Eodem anno adhuc Adolphus Comes delectu propere instituto Lubecam, Stadiumque vi subgegerat. Quibus alacrior factus Dux Bernhardus et ipse copias ad Lauenburgum duxit proxima aestate MCXCIII. ab Adolpho, et Bernardo Raceburgensi adiutus, cumque iam oppidani ad incitas essent redacti, superuenere cum ingenti manu amici Leonis, eumque non sine clade obsidionem soluere coegerunt<sup>s</sup>). Quare parum ex sententia procedente nihil amplius tentasse videtur superstite Leone, qui tandem anno MCXCV. Brunouici vita migrauit<sup>t</sup>).

## §. IX.

II) Ab an. MCXCV. ad viuendi finem.

Henrico, quod satius nobis videtur, intestato decedente, omnem haereditatem a tribus filiis usque ad annum MCCIII. communis consilio administratae esse, iam vidit Doctiss. GRVBERVS<sup>u</sup>). Erat autem tum omnino in manibus eorum Lauenburgum cum plerisque Bernhardi in Saxonia praediis, cui vero fra-

C 3 trum

<sup>r</sup>) Abiit Adolphus, (Tyro reveritus) ad Bernhardum Ducem, et OttoneM Marchionem de Brandenburg, qui eam in manu valida Ertenburgum deduxerunt. Arnoldus I. IV. c. 7.

<sup>s</sup>) Idem c. 16. Bernhardus Dux videns, quod Adolphus Lubecam obtinuerit et stadium, obsidione maxima valet at Lauenburg, Venerunt autem amici Ducis ipsos ab obsidione liberaturi, Dux quid faceret ne sciebat, exercitus enim distractus erat, Ipse tamen constan-

ter agens viriliter pugnauit, sed victoriā non obtinuit.

<sup>t</sup>) Vetus Chronicum Lüneburgicum ap. LEINNITIVM Tom. II. ad a. 1195. Steref. Hinrich de Lovwe.

<sup>u</sup>) In Animaduersi. ad ORIGINES GVELFICAS Tom. III. p. 159.

<sup>x</sup>) OTTO DE S. ELASIO. cap. 46. Orientales itaque Principes videlicet Dux Bauariae et Bernhardus Dux SAXONIAE Philippum Imperii defensorem eligere decreuerunt.

trum sigillatim cesserit, inde incertum est. Breui tamen graues in iis regionibus turbae cooriebantur. Postquam enim Henricus Caesar MCXCVII. in Apulia inopina morte extinctus erat, diuersa agebantur in eligendo Imperatore Principum Germanorum studia, plerisque, quorum Bernhardus Dux princeps nominatur pro Philippo Sueuo, altero Friderici Barbarossae filio sentientibus<sup>a)</sup>, pauciores Ottonem, Leonis filium, suadentibus maxime Angliae, Daniaeque regibus optant. Quae inde Germaniam affecerint, vicissitudines, mittimus, hoc tantum obseruantes floruisse gratia, atque auctoritate, Bernhardum plurimum apud Philippum<sup>b)</sup>. Dum vero haec in Orientali Germania geruntur exorserat Adolphus Holz. Henrico Palatino Ottonis R. fratri arcem Lauenburgum<sup>c)</sup> quam tamen hic paulo post Waldemaro Daniae regi, a quo saepius fugatus, omni possessione in Nordalbingia exutus, tandem etiam captus erat in redemtionis pretium resignare coactus est<sup>d)</sup>. Quibus rebus intumesces Waldemarus, se omnis Daniae Slauiæ, et Nordalbingiae Regem proclaimari iussit<sup>e)</sup>. Atque ita terra Lauenburgica, de qua Bernhardus, et Henrici filii contendebant, extero aliquandiu praedae fuit. Caeso interea per sicarium Philippo Ottonis aemulo MCCVIII. Imperium facile ad Ottonem inclinabat. Apud quem Bernhardus Dux partibus eius accedens breui tantam collegit gratiam, ut non modo eius consilio Otto vteretur, sed etiam in amicissimis eum haberet<sup>f)</sup>. Vnde Bruno uici

y) Struinius in Historia Germ. in Philippo Sueuo, Tom. I. p. 434. et Cranzius in Saxonia I. VII. c. 16.

z) ARNOLDVS I. VI. c. 12.

aa) ARNOLDVS I. VI. c. 13. et HERMANNVS DE LEERBECKE in Chronicō Schauenburgico, ap. MEIBOM. Tom. I. p. 503. Post hoc Dux Waldemarus Lübecke, et Hamburg cepit, et Comes Adolphus capitur, et quasi biennio deten-

tus est. Tanto denique tempore elapsi fides Adolphi castrum Loeburg Ducit Waldemaro reddunt, et Comes Adolphus liberatur. Idem restatur, BOISSEN

SEN Chronicon Slesvicense ap. MENCKEN. Tom. III. p. 589;

bb) ARNOLDVS, c. 17. et CRANZIVS in Vandalia I. VII. c. 1.

cc) ARNOLDVS I. VII. c. 15. Princeps uananimi consensu Cittouem in Regem Roma-

vici cum Pascha celebrarer, adspecto Leonis simulacro, quem Henricus parer erigendum ibi curauerat, istud acute dictum protulisse fertur Bernhardus. Quo usque hiatum vertis ad Orientem? *Desine iam habes quod voluisti, conuertere ad Aquilonem<sup>d</sup>*). Neque vero tum eum Saxoniae curam deposuisse inde prostat, quod anno MCCXI. Waldemarum Bremensem Episcopum extorrem haec tenus in sedem suam restituit. Quod ultimum ei fuit operum mortalium, nam reuersus inde Berneburgum diem ibi clausit extremum<sup>e</sup>). Quantum igitur liquido ex his diuinare possumus, Bernhardus cum moreretur, quicquid iis temporibus obtineri poterat, in citeriore Saxonia, in officio tenebat, quod cum Bremensis illa expeditio, tum qua apud Caesarem pollebat, gratia, satis euincit. Caeterum Nordalbingia tum non tam a Ducatu Saxoniae, quam ab omni Germania auulsa videbatur.

## §. X.

*Ducatus Saxoniae penes Ascanios perpetuo fuit post proelium prope Bornhouedam.*

Quia vero Bernhardum Dano adhuc transalbinas terras habente decessisse attulimus, persequi iuvat adhuc, quo pacto de-

Romanorum elegerunt prosequente Bernardo Duce Saxonia. Ottonem Mijnensem, aliusque ad quos electio pertinere videbatur, et paulo interius Otto autem Rex videns opportunitatem quosdam de suis aerulis bello impetere cogitabat, ad quem accedens Archiepiscopas Magdeburgensis, vna cum Duce Bernhardo sic locuti sunt, non quadem, cet.

<sup>d</sup> De quo dñe si dicat ARNOLDVS Omnes in risum conuerterit, non tamen sine admiratione multorum, qui id altius indelligebant. In his incis ECCARDVS atque GRUBERVS in Origg. Guelphicis solemnem quandam terrae transalbinae renunciationem latere commenti

funt, quod quidem haud perspicio. Ex vero vibana infigatio ad castigandam Danorum licentiam.

<sup>e</sup> ALBERTVS STADENSIS ad a. 1211. Dux Bernhardus II aldemarum quasi ex voluntate Imperatoris Bremam reduxit, et mox: Dux Bernhardus Berneburg de Hethelaria reuersus obiit. Cuius manus sic parent HENRICVS BASSE Monachus Ballenstadenis: In Genealogia Illostrum Principum in Anhalt. Bernhardus, primus dux Saxoniae, et ipse in senium vergens, cum magnifice, et laudabiliter vitam peregit, appositus est ad patres suos, et sepultus in oratorio Coenobii Ballenstadenis.

❧      ♚      ❧

mum provincia illa, ad suos redierit. Patrem exceperant Bernhardum in Comitatu Henricus, in Ducatu Albertus filii, atque huic fortuna seruauerat, ut acceptam a patre sub ancipi Marte hereditatem stabili iure possidendam vindicaret. Iam enim Walde-mari Dani nomen post acceptas in bello contra vicinos Comites clades, in contemtu haberi coepit erat<sup>f</sup>), ac iam tum Alberto Raceburgum aliasque ciuitates transcriptas esse inuenimus<sup>g</sup>). Cum tamen contra fidem interpositam Rex Nordalbingia non abstineret, bellum denuo exarduit, ventumque demum prope Bornhouedam ad insigne illud proelium, quo Danorum res eo usque attritae sunt, ut de Germania sollicitanda deinde prorsus desperarent, foederati contra Principes amplissimis spoliis ditati. Alberto Saxonie Duc-i euenit Lauenburgum<sup>h</sup>). Tantum igitur esto, quod mihi in hoc genere dicere licuit, licuere autem omnia per Summum Virum I.O. MATHIAM SCHROECKHIVM, cui quanto plura deboeo, tanto impensis mihi gratulor, deboeo vero non solus, sed vniuersa mecum Historia.

*f) CRANZIUS in Saxonia l. VII. c. 41. Minus iam timebatur ante victoriosus rex posteaquam ab Henrico Comite de Suerin captus, atque redemptus esset.*

*g) Albertus stadenis ad a. 1226. Domini Nordalbingiae Albertum Saxoniae*

*Ducem vocarunt, eique Raceburg et Lubecke tradiderunt.*

*h) Idem ad a. 1227 Rex Danorum a Bremenii Archiepiscopo, Alberto Duke Saxonie Henrico de Suerin, et Adolpho de Schauenb. Slaviae dominis in Burnhovede praelio denuncitur. Castrum Lauenburg pro Comitis Alberti liberatione Alberto Duci traditur.*



Wittenberg, Diss., 1774-76



3

f

5b.



19

ORATIO  
DE  
PHILOSOPHIAE IN THEOLOGIAM  
MERITIS

AD RECOLENDAM MEMORIAM

B. HERMANNI DE WOLFRAMSDORF  
SVPREMI OLIM AVLAE ELECT. SAX. MARESCHALLI ATQVE  
CONSILIARII INTIMI ECCLESIAE CATHEDRALIS MARTIS  
BVRG. PRAEPOSITI NEC NON DYNASTAE IN MÜGELN  
SAALHAVSEN COLMEN LIMPACH SITTEN KÖSTERITZ  
HARTMANNSDORF DÜRRENBERG ET  
BÖRTEWITZ CET.

CONDITORIS BENEFICII WOLFRAMSDORFIANI

D. XIII. SEPT. 1776  
IN AUDITORIO MAIORE  
PVBLICE HABITA

M. CAROLO SAMVELE MULLERO  
KEMBERGA - SAXONE.

VI TEMPERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACAD. A TYPIS.

*G. Pet. M. Dahlmann.*

*Th. En. 15*



1277  
Be  
N21  
DE  
BERNHARDI ASCANII  
DVCATV SAXONICO  
COMMENTATIONEM HISTORICAM  
EX DECRETO  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
PRO LOCO  
INTER ADIVNCTOS. EIVS ORDINIS  
RITE CAPESSENDO  
P R A E S E S  
GODOFREDVS AVGVSTVS MEERHEIM  
AA. MAG. ET FACVLT. PHILOS. ADIVNCTVS  
T V E B I T V R  
COMITE  
IACOBO CAROLO REINHOLDO  
DRESDENSI  
BONAR. LITT. ET IVR. VTR. CVLT.  
DIE XIX. FEBR. MDCCCLXXVI.  
VITEMBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHR. DÜRRII ACAD. A TYPIS